

6

176250

CYMS Lib B. *heller* 1830.
h. ml. —

160

Margaret B.

FB

IN CLARISSIMI ET ELOQVENTISSIMI VIRI, CÆLII SECVN-

DI CVRIONIS, ORATORIAE PROFESSORIS IN
Academia Basiliensi, mortem, lamentatio ad Ionicum modum
in eadem Academia decantata, per Ioan-
nem Thomam Freigium.



FELIX ergo anima & cæli omni-
potentis amica,
Curio doctorum decus immortale se-
rorum,
Perpetuam cuius famam monumenta
loquentur


Plurima, uenturos & duratura sub annos:
Vel quod ad ingenuas iter affectantibus artes,
Monstrasti facilemque uiam, callosque reclusos:
Vel quod magnifica & claris meditata Camanis
Aetatis nostræ scripsisti gesta, Latina
Non tentata manu,
Vnde liquet Rheni sacras, licet aduena, Musas,
Quantum Rauriacas etiam illustraueris oras:
Sub pedibus tandem nubes, terrasque relinquis,
Et tua mens uenti longè pernicior alis
Auolat, & sese cæli sustollit ad auras,
Aethera ubi, mare ueliuolumque & litora terræ
Aspicit, atque animas alias, & quicquid ubique est:
Miraturque polos & iam sua sidera cernit,
Atque sonat, Deus ô Deus, & formamque coloremque
Agnoscit Diuum, sanctamque cupidine tacta
Rerum æternarum, liquidi super ardua cæli
Insequitur.
Felix, cui longæ post plurima tedia uitæ,
Et post innumeros tandem immensosque labores,
Cunctis hic peruenit, quæ antiquis seculis incerta
Certa, læticia uoces ad sidera iactas:
Et multorum expers tandem, tutusque laborum
Degis perpetua tranquilla silentia uitæ.
O qua te celebrem mens optatissima uoce?
Quæ tibi, quàm presens semper sacundia, clari
Eloquij quales numeris, siue aurea nobis
Scribere præcepta, aut exponere cætera dictis
Sua uiloquis cuperes: seu regum bella ferocum
Et populorum æstus: nec non quibus artibus acres
In pugnamque ruant Turcæ, & qua sorte morentur
Hostem Christicolæ manibusque opibusque potentem &
Siue quis historias adamat ueteresque nouasque,
Seu cupit eloquij per campos ire patentes,
Ille tuis semper præceptis lætus abibit,
Et quæ multa simul uerjū comprehendere non est.
Quod si non nostra hæc ignauia & impia semper
Ingenij labes, puerisque domestica pestis,
Obstaret, Latij nunquam sermonis honesta
Atque elegans species, uerborumque forma beata,
Barbarie perdenda graui confecta iaceret:
Ah miseri quibus hæc discendi copia adempta est.
Ah quoties post interitumque & fata suprema,
Delendis iterumque, iterumque uocabere monstres &

Quæ nam non nouit tua gens præclara reperta?
Siue eadem longè Septem subiecta trioni
Concretam glaciem pernicibus incita plantis
Transuolet, aut Itala frenetur cuspidè, siue
Gallica fortuito tueatur lilia Marte,
Quam tua tellurem non, inquam, fama repleuit?
Testis erit tua quo surgat sacundia nifu,
Qua ualeas lingua, testis cum Tibride Rhenus
Et Rhodanus, præclara etiam, quocumque sub astro
Pectora nunc degans.
Et tu non tantum, sed tanto digna parente
Natarum celebris toto orbe est turba tuarum,
Quas Latine norunt omnes dulcedine lingue
Aetatis nostræ longè uicisse puellas:
Nōrunt, ô felix quondam dum uita manebat
Atque tibi atque illis: sed enim crudelia tandem
Fata tibi luctum & tristes meditata ruinas
Sustulerunt longæ solatia dulcia uitæ.
Ex illo tibi nil tum tempore suauis fuisse
Crediderim: quid enim amissis tot denique charis
Corporibus dulce aut iucundum posset adesse?
Sed si non aliter mortalia stamina nērun
A quibus humanae pendent moderamina uitæ,
Fas perijisse isto charissima corpora pacto,
Si modo non lentis etiam nos passibus illa
Aequamus. Liceat mortales ire sub umbras
Præstantes uitæ uitos: nec enim optima tollit
Vltima cuncta dies: melior pars quippe superses
Permanet, & fruitur, post fata quoque, æthere puro
Quod tibi gratamur Cæli, cupimusque uicissim
Consortes fieri istius quandoque triumphij.
Interea quantis turbabis fletibus ora
Pierie turbæ? te quantis Itala tellus
Luctibus, Hesperia & te Gallica Lilia plangent?
In primis liquidi Musæ propè litora Rheni
Ah quantis lacrymis, quanto fletuque sathiscent?
Et tu Rhene pater præterlabere recentem
Hunc tumulum siccis oculis? nostra aspice damna.
An ne alius quisquam nostra de gente, loquendi
Artes in tantam spem tollet? Raurica tellus
Vilo se tantum posthac iactabit alumno?
O florem populi, ô sandi, suadæque medullam.
Spargite Pierides flores, date lilia plenis
O Calathis, animamque his sanctam denique donis
Accumulate, atque hoc nunc fungi munere inani
Pergite, & æternum testari in pectore amorem,
Quem sanctæque animæ & sub cæli lumen eunti
Omnes debemus, quicumque aliquando magistra hæc
Munera Romanæ tentauimus aurea lingus.

CÆLII SANCTIS MANIBVS, FREIGIVS DISCI-
pulus mæstus cantabat XXV. Novembris,

Anno CIO IO LXIX.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
BY ORDER OF THE FACULTY OF DIVISION OF THE PHYSICAL SCIENCES



111-307550

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

S. 61

5690/90

450 —
71107 386

POLITECHNIKA KRAKOWSKA
BIBLIOTEKA GŁÓWNA

III 41900
L. inw.

Kdn. Zam. 480/55 20.000